


I.



Ἀποδείξις Theologica,

DE

M I S S A.

T H E S I S I.



Mnium fermè abominatio-  
num Papalium nutrix & officina M I S-  
S A est: meritoque inde *cor & anima Pa-*  
*patus* nuncupari solita. Sicut enim ab  
*Anima motus & vita in corpus & omnia cor-*  
*poris membra derivantur: ita ex Missa in universam Monacho-*  
*rum colluviem, totumq; corpus Clericum opulencia fluit, & po-*  
*tentia ac reverentia.*

Definitur ipsius actio, quâ per multas preces & Ceremo-  
nias Eucharistia conficitur, confecta à Sacerdote elevatur &  
consumitur, Deoq; Patri in gratum offertur sacrificium. Hinc  
scopus & status Controversiæ inter nos & illos emergit  
iste: *An videlicet Missa Pontificia, in qua ministerio sacrifi-*  
*culi, Panis & Vinum in Corpus & Sanguinem Christi trans-*  
*substantiari, transsubstantiata Deo Patri offerri finguntur, sit*  
*Sacrificium externum & propriè dictum atq; legitimum, illudq;*  
*propitiatorium pro vivis & mortuis, aliorumvè bonorum im-*  
*petratorium? Orthodoxi negant: Aiunt Romanenses.*  
Ita enim Concil. Tridentin. sess. 5. can. 1. *Si quis dixerit,*  
*in Missa non offerri Deo VERUM aut PROPRIUM sacri-*  
*ficium*

A 2